Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1987
Quelle:
Copyright:

pſalmos diuidit &c. In brevi hac Praefatiuncula *Daniel* Hagiographis, et non Prophetis adnumeratur. Pergit porro Interpretatio: Anno tertio regni Joachim Regis Jude, *Conciſa locutio, in anno trium ſ. annorum. i. anno tertio, ſub finem anni tertij (ne repugnare videatur cum loco Hierem. 25. vbi dicitur in anno quarto Joachim)* regis Judę. &c. Atque ita per Capita proceditur admixtis ſubinde documentis moralibus. Norunt ſacrarum literarum Studioſi motus, quos *Rob. Stephanus* typographus *Pariſinus*, antequam *Genevam* peteret, *Bibliis* a. 1545. 8. vulgatis excitavit. Admonuit in iis praevie Lectorem, ſe doctiſſimi *Vatabli* adnotationes a diligentiſſimis ejus auditoribus magna fide exceptas huic Editioni adpoſuiſſe. *Quod ſi Vatablus*, proſequitur, *ipſe has annotationes edidiſſet, Deus bone, quantum doctrinae, quantum facilitatis acceſſurum fuiſſe exiſtimamus!* At enim *Vatablus* tantum abeſt, ut hac adulatione deliniretur, ut potius, teſtimonio *Gilb. Genebrardi* in *Praef.* ad *Origenis* Opera *Pariſ.* 1574. 1604. et 1619. f. *Stephanum* ad ſe accerſitum objurgaret et falſi criminis poſtularet. Et re ipſa, quidquid obmoveat *Dav. Clemens* in *Bibl. cur. hiſt. crit.* T. IV. p. 140. ſinceritatem ſaltem in eo deſideres. Cur enim, cum in iis ſuis adnotationibus *multa*, ut verbis *Arn. Bootii* in *Indice Autor.* ante ſuas *Animadverſ. ſacr. ad Text. Hebr. V. T. Londini* 1644. 4. utar, *Religionem reformatam ſapientia ſparſa ſint, a qua ipſe* (Vatablus) *fuit alieniſſimus*, cur, inquam, expreſſis nominibus non ſuum cuique tribuit, contentus *Vatablum* et *Chriſtianos Doctores* nominare? Quinam hi? Injuria igitur Nomen *Bibliorum Vatabli* invaluit, cum neque Verſio in illis Verſioni vulgatae adjuncta *Vatabli* ſit, ſed *Leonis Judae*, aliorumque *Tigurinorum*, neque Adnotationes ex integro ad illum pertineant. Verum haec prolixius apud Autores *citt.* diſſeruntur, quibus *Lelongii* et *Maſchii Bibliothecas ſacr. Huetium*que *de claris Interpretib.* adde. Nos ex inſtituto ſpeciminis loco Notas mſptas cum editis a v. 11. C. XII. ad finem conferemus.

Mſptae.	Editae.
Et a tempore quo ablatum fuit illud ſacrificium. *i. Juge illud ſacrificium. i. verus dei cultus (alij Euchariſtiam intelligunt, cuius typus erat iuge ſacrificium)* et ad ponendam *ſ. in loco eius* abominationem ſtupentem *(i. quam omnes ſtupere debent) vel expone, vt ſit*	21. a tempore, quo ablatum fuerit ſacrificium iuge *ad ſufficiendam (in locum eius)* abominationem *ſtupendam vel deſolantem, ſubintellige, cultum Dei. Supra deſcripſit finem: nunc initium huius tribulationis docet: nempe cum uerus dei cultus ablatus fuerit et intro-*